



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Communis sensus inuestigatio. cap. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)



Ea vel ab ipso sentitur, vel ab alio tertio sensu ab illo diverso. Si ab alio; de illius rursus operatione quaeram, à quoniam sentiatur; & ita in infinitum ibimus, sensusque ponemus innumerabiles. Quod esse non potest: tum quia infinitum nullum est in natura: tum quia cum in agentibus is ordo sit, ut nisi primum agat, agere ultimum nequeat; ubi non sit primum, nulla fuerit actio, nulla sensio. Sin verò ab illo ipso sensu sentitur; idem de primo sensu, quo colorem cernimus, poterat affirmari (Philoponus addendum putat statim, aut rectè) illum ipsum, tum obiectum sensibile, tum sensationem suam sentire: neque opus erat temerè sensus multiplicare; cum in omnibus natura quàm paucissimis delectetur, nec quidquam faciat non summo opere necessarium.

Tam verò posterioris quoque illius sensus sensationem, qua aspectus visio sentitur, à nobis sentiri debere; conatus est probare Simplicius. Quod dum facit, assumit id, quod in quaestione versatur: unusquisque, inquit, ex quinque sensibus id facit, hoc est sentire se cognoscit: multò igitur magis sensationem suam alter ille sentiet sensus, qui non tantum sensibilia percipit, sed ipsamet eorum sensationes comprehendit. At hoc est, quod disputatur; num quinque sensus sensationem suam ipsimet sentiant, an verò alio sensu eas animalia percipiant. Ex perfectione potius illius sensus ducenda probatio fuit. Quia ut est superior & perfectior facultas, minusque materialis & corporea; siquidem obiectum minus materiale & corporeum comprehendit; operationem inquam sensus, quæ est materialis & ipsa sit & quoquo modo corporea; minus tamen, quàm obiectum, quod in materia profus & corpore cohaeret, ac per actionem sensus immateriale quodam modo & incorporeum efficitur, dum illius forma sine materia & corpore in anima suscipitur: ita multò magis actionem habet, quæ à nobis observetur; aut certè non minus, quàm deteriorum ac materialium magis sensuum operationes. Quare ipse quoque Simplicius communem sensum purius ac melius, quàm particulares cæteros, se ipsum dixit cognoscere: quoniam separabilem & abstractam naturam magis præ se fert.

TEXTVS.

Ἐπεὶ δὲ ἀποδείξαι αὐτὸ τὸ τῆς ὁψῆς εἰδέναι εὐδαιμονοῦν ἄνθρωπον, ὁ ἐπιπέδου δὲ ἡρώδου, ἢ τὸ ἔργον, αἰ δὲ ἰσχυρῶς τὸ ὁρᾶν, καὶ ἡρώδου ἕως τὸ ὁρᾶν ἀποδείξω.

Habet autem dubitationem. Si enim aspectu sentire est videre, videtur autem color aut habens; si viderit aliquid ipsum videns, colorem quoque habebit videns primum.

COMMENTARIVS XVI.

Adversus eam quaestiones partem, quam probavit, dubitationem propositi quæ ad alteram quaestiones partem disputandam spectat; non eodem, sed alio sensu operationes eas cognosci. Evenim aspectu sentire nil aliud est,

quàm videre: si igitur aspectu sentimus nos videre, aspectu nimirum videmus nos videre. At nihil videtur, nisi color aut id, quod colorem habet: si ergo ipsum videns, hoc est visio, qua formaliter videmus; aut aspectus ipse, qui visione videtur, à nobis videtur; dum siue visionem ipsam, siue aspectum videntem videmus, necesse est ipsum coloratum esse. Atqui nullum colorem habet. Eodem igitur ipso aspectus sensu nullo modo sentiri potest.

Ratiocinationis huius propositionem sunt qui secus proponant; convertentem potius accipientes; videre nil esse aliud, quàm aspectu sentire. Verùm quid opus sit Aristotelis verba mutare? Sic enim legimus (aspectu sentire est videre). Quam propositionem idè accepit, quia in priori argumentatione, adversus quam hanc dubitationem proponit, concesserat nos aspectu sentire nos videre, singulosque sensus proprias eorum operationes percipere. Assumptio tum ex eo sumitur, quod facultates ex obiectis constituuntur & distinguuntur, nec nisi circa suum obiectum operantur. Tum ex eo, quod proprium aspectus obiectum est color: coloris voce lumen quoque intelligèdo, quod veluti color est perpicui: atque adèd tertium illud innominatum genus, quod in tenebris solum cernitur.

Cur verò colorem dixit, aut id, quod colorem habet? An quia non videtur color per se coherere atque à corpore separatus, nec visum in natura subsistere: sed id, quod cernimus, color est in subiecto quoque existens; coloratum inquam corpus. Quare cum colorem nominasset, aut quasi emendavit sermonem, aut certè planiorem fecit. An indicare voluit, tum id, quod videtur; tum rationem, cur videatur? Videatur enim id, quod coloratum est: ratio autem, cur videatur, est color, qui in ipso est. An etiam consequentia respexit? Quippe ac commodatè magis & appositè deducendum erat, primum videns oportere habere colorem, hoc est coloratum esse; quàm esse colorem.

Additum verò est (primum) inquit Philoponus, ut primum sensibile significaretur, quod qualitatem & formam realem habet. Ad distinctionem enim formæ, quæ in sensu sit sine materia; quæ non est prima, sed à prima illa profecta. Mavult Simplicius significare id, quod est per se. Quia etiam gustabile sit coloratum, gustabile tamen non est coloratum. Id autem aspectabile est quod per se colorem habet. Ego verò vocem eam magis optinè adiectam voci illi (videns) ut videns primum sit illud ipsum videns, quod nominatum fuerat. Sic Albertus etiam intellexisse videtur, cum videns primum interpretatus est, quod influit oculo visum, hoc est facultatem videndi, aut etiam visionem illam primam, qua obiectum sensibile visum est. Et enim hanc deducit coloratam esse oportere, si ab eodem sensu, qui per illam primò videt obiectum, videri debeat. Aut etiam aspectum ipsum, qui primò vidit obiectum, necesse esse habere colorem, & post obiectum se ipsum quoque videntem visum est.

Horum porò neutrum coloratum esse, Philosophus non probavit, sed ut manifestum reliquit. Philoponus de operationibus interpretatus, etiam hanc eas ob causam prodidit coloratas non esse, quoniam incorporeæ sunt; nihilque coloratum esse potest, nisi sit corpus. Quæ causâ probus est falsa. & col-

Dubitationem

& corpore anime & facultatis operationes sunt & per organum corporeum fiunt; & in eo suscipiuntur & sustentantur; ut qualitates & accidentia ipsa, quae corporea existimantur. Verius dixeris; neque sentientem facultatem neque sentionem coloratas esse; quod animam consequantur, indeque substantiam suam accipiant, et si speciem habeant ab obiecto. Et in homine saltem in sola eadem anima, non in organo aut colorato vilo corpore, suscipiuntur. Quare ut anima nec est colorata, nec aspectabilis; ita nec facultas eius esse potest, nec operatio. Color enim corporis qualitas est ex elementorum permistione orta. Deinde facultas & obiectum sensile in eadem entium categoria differunt genere; operatio vero categoria quoque, neque est forma aliqua, sed solus actus secundus. Et cum album & nigrum alioque simul colores cernamus, plurimos & contrarios simul colores haberet. Postremo si corporis organum, quod ex elementis concretum est, maximeque videretur colore & aliis huiusmodi qualitatibus praeditum esse posse; quia tamen eas susceperum est, carere illis debet, ut in tex. 71. dictum est; oculique pupilla nullum colorem habet, nec auris vllum sonum; multo minus facultas aut quae ab illa producit, actio habere possunt.

TEXTVS.

*Ἐπεὶ οὖν τὸ ἐν οὐχὶ ἔστι τὸ εἶναι αἰσθάνεον, καὶ ἔστιν οὐκ αἰσθάνεον, τὸ εἶναι κενόν καὶ τὸ αἰσθάνεον καὶ τὸ εἶναι αἰσθάνεον.*

*Manis sum igitur, quod non vnum ipsum aspectu sentire. Etenim quando non videmus, aspectu & tenebras & lumen diiudicamus. At non eodem modo.*

COMMENTARIVS XVII.

**P**ropositam nunc dubitationem diluit. Idque duobus modis. Primum negat aspectum esse solius coloris, neque omnino vno tantum modo dici ait. Propterea quod etiam cum nihil videmus, sed sumus in tenebris, lumen & tenebras diiudicamus. Graec est *κεῖνο*, hoc est tanquam iudices de illis sentiamus ferimus, atque has ab illo discernimus.

Responsionem hanc Philoponus moderatorem potius quamdam dubitationis, quam solutionem esse iudicavit. Quoniam cum color per se videatur & ex accidenti tenebrae; non responderet quis sapienter, visionem tenebrarum esse. Lumen potro, non colorem nominavit: vel ut planius ostenderet non esse vnum neque solius coloris ipsum aspectu sentire: in usque veram esse argumentationis proposita assumptionem, Nihil videri nisi colorem aut id, quod colorem habeat. Velut subiungeret tenebras, quae non colori, sed lumini aduerfantur: modumque indicaret, quo ex cognoscantur: nempe ex lumine, tanquam ex habitu privatio. Et Aristoteles quidem, quod res obscura & difficilis notior ac planior fieret in exemplo, generalem & vniuersam quaestionem ad particularem & specialem contraxit. Quod inquam ad sensum vniuersum pertinet, An eodem, an alio sensu sentire

**A**nos sentiamus; non solum hoc loco, sed in superiori quoque oratione ad aspectum contraxit. Verum ut antea quod de aspectu dicebatur, de aliis quoque sensibus intelligendum fuit: & quod ad proposita dubitationem attinet, non visionem modo coloratam fore, sed & auditionem sonorum, & odorationem odoriferam, & gustatum lapidum, & tactu tactilem; si sensus se ipsum suamque sentionem sentiat. Ita nunc quae de aspectu respondentur, de sensibus omnibus accipere oportet: auditu quoque sentire non esse vnum; quia quando non audimus, auditu & silentium & sonum diiudicamus: eodemque modo de ceteris.

**B**De aspectu autem potissimum tanquam primo, notissimo, & aliorum quasi regula, loquutus est. Possuntque verba duobus modis interdistingui. Autem distinctionis nota post verbum (videmus) apponi potest; hoc modo (etenim quando non videmus, aspectu & tenebras & lumen diiudicamus. Aut ea post vocem (aspectu) transferri. Neque magnopere diuersa sententia est. Licet enim eatenus mutari videatur, quatenus aspectui praefata distinctione aperte mox subiungitur, tum in tenebris lumen ac tenebras dignosci, tum aspectu dignosci: Postposita vero, dubium videtur relinqui, cuiusnam facultatis iudicium illud sit. Cum tamen principio dictum sit, non esse vnum aspectu sentire; ubi mox multipliciter distinguitur, de eodem ipso aspectu oratio tota intelligenda est. Ac Themistius quidem Aspectui distinctionem praeposuisse videtur: mihique magis placet quoniam hoc significati videtur id, quod statim subiungitur (at non eodem modo). Lumen namque per se aspectabile est ut proprium huius sensus obiectum, a quo is ita afficitur, ut ad sentiendum & proprium circa illud promendum actum permoueatur. Tenebrae autem ex accidenti, velut absentia & privatio obiecti; quae non per se, sed ex habitu: non ex motu in sensum facto; sed ex eo, quod

*Tenebrae ut cognoscantur.*

**C**is nihil permoueatur; ac demum non per vllum sensionis actum ab aspectu circa illam editum, sed propterea quod nihil cernat superiori facultate a nobis percipitur. Quoniam tamen superior haec facultas privationem eam non agnoscit, nisi dum aspectum alioqui ad operandum idoneum & paratum, immo & attentum & operati conantem, nihil videre nec ab obiecto moueri animaduertit; quoquo modo eam dicimus aspectu sentiri. At non eodem modo, quo lumen. Quia lumen verè & per se ab ipso comprehenditur, tenebrae non ab ipso, sed a superiori facultate: Non tamen sine ipso. Quia nisi illa ad aspectum se se conuerteret, eumque cognosceret nihil videre; omnino tenebras non perciperet. Verum hac de re exat digressio ad tex. 71. superioris lib. in qua cognitionem eam ostendi nequaquam sensuum particularium esse; quod reditum in se ipsum contineat, qui nulli corporeae facultati permittitur. Sed aut communis sensus, ut Aristoteles sanè credidit, quod is velut communis iudex, tum obiectorum, tum actionum inferiorum sensuum particularium sit. Aut potius intellectus; quod ratio cinationem aliquam contineat, qua ex eo, quod sensus non moueatur, absentia & privatio obiecti colligatur. Quod hoc loco Philoponus confirmabit; qui sensuum operationes a rationali anima putans aduertit, Aristotelem interpretatur eas dixisse a sensibus ipsis cognosci; non a sensu ut sensu

Priva-  
tione: ut  
sensu co-  
gnoscitur.

us est, sed ut rationis instrumentum: sicut securum dicimus, facile thronum, quod ea artificis instrumentum fuit. Eodem enim modo privationes dicere possumus cognosci sensu velut rationis instrumento. Sed is, qui in operationibus cognoscendis positum & operans instrumentum erat, in privationibus negativum erit; non operans & ociosum. Verum de huius loci sententia post rursus considerandum erit.

TEXTVS.

Επι δὲ καὶ τὸ ὄραον ὅταν ᾖς κεχρηματισμένον τὸ δὲ αἰσθητικόν, δευτέρως ἢ αἰσθητὸν ἄνευ τῆς ὕλης ἐκείνου.

Præterea autem & ipsum videns coloratum quoddam est. Vnumquodque enim sensorium suscipere potest sensibile sine materia.

COMMENTARIUS XVIII.

**H**æc altera est dubitationis eiusdem solutio, qua' eo concessio, quod in priori negauerat, aspectum solius coloris esse; respondet, ipsum viuens, hoc est, ut antea exposui, aut visionem aut aspectum videntem, utrumque coloratum esse; & ideo si tenebræ, quæ integram privationem significant, iudicantur aspectu, multo magis sensationem ipsam iudicari posse. Etenim vnumquodque sensorium potest sensibile obiectum sine materia suscipere; dumque actu sentit, re ipsa suscipit; fitque tale, quale est obiectum: in aspectu scilicet coloratum, in auditu sonorum, & in aliis eodem modo.

Qui locus ex iis fuerit explicandus, quæ habentur in commentario & digressionem ad textum 121. vbi sensum omnem Philosophus dixit habere vim sensibiles formas suscipiendi sine materia. Nam qui formas intentionales dicunt à sensibilibus obiectis in sensuum organa immitti; facultatem quidem sibi Aristotelem hoc loco habere videntur, dum sensorium nominat tanquam sine materia formas suscipiens: sensorium tamen si organum interpretaris, minus ad rem interpretaberis. Siquidem non de sensorio queritur, an coloratum sit; sed de operatione ipsa sensuæ, qui operatur. Deinde si sensorium ipsum intellexisset Philosophus, non dixisset, utrumque aut quodam modo illud coloratum esse aut sensibile (quod enim de aspectu dicitur, de omnibus sensibus dicitur) quoniam præter colores manifestum est sensibilia cætera multiplicari re ipsa atque in organo sensus suscipi, vel etiam lumen in oculo. Nec minus verè & propriè afficiunt illud & nominant, quam afficiant, & nominant corpora cætera, in quibus sunt. Non igitur quodam modo, sed absolute eiusmodi sunt. Contra verò illi ipsi, qui intentionales illas formas asserunt, passim docent, eas nequaquam afficere nec nominare, siue medium, siue organum, siue omnino corpus, in quo suscipiantur: quod immateriales nimium sint & spirituales. Non solum igitur non absolute, sed ne villo quidem modo ab illis organum coloratur. Quid enim innumerabiles, ut inquit ipsi, colorum omnium vel contrariorum formas simul

fusciat, quo tandem colore coloratum esset. Nam quod aliqui dicunt, eas non afficere nec nominare, quia separabiliter insunt; leue est. Quia omnis forma ut se ipsam adumque suam dat subiecto, ita & nomen; siue diuturna sit, siue breuis temporis. Atque ut minus mireris, me hoc loco sensorium interpretari sensum; Philosophum & Simplicium, & verò etiam Auerroëem consulas in expositione textus 146. vbi cum Philosophus sensorium rursus nominasset, sensorium illi profensu & facultate nominatum fuisse voluerunt.

Sensus porrò eiusque operatio colorata esse dicuntur, quatenus coloris formam, hoc est cognitionem ipsam quasi coloris formam suscipit sine materia, cum qua re ipsa subsistit. Atque ut à colore extra animam coherente re ipsa & propriè corpus, in quo is est, coloratum dicitur: sic à cognitionis eius forma, tum sensio, tum sensus, quoquo modo, hoc est secundum esse cognitum, appellari colorata possunt. Sensus quidem, quatenus est idem re cum ea forma, quæ tum operatio dicitur, ut à sensu promittitur; tum forma, ut obiecti comprehensio atque in cognoscentem facultatem traditio. Sensus autem, quatenus eam formam suscipit, que in eo remanens afficit illum & utrumque nominat: sicut naturalis forma, quæ extra animam est, subiectum corpus, in quo ipsa reperitur.

At enim quid erat opus sensationem aut sensum hoc loco appellare sensorium? Propterea libuit appellare, quia ipsum videns nominauerat, hoc est perfectum quidpiam significat, quod operari possit. Operatur autem non solus sensus, cum sit organicus; sed sensus cum organo: sensioque ipsa à sensu, qui vitur organo, proficitur. Ipsum inquam videns non est solus aspiciendi sensus, nec sola papilla; sed aspectus in papilla existens, eaque ad aspiciendum vtens. Quare Aristoteles hoc loco non tam sensorium & organum, quam id totum, quod sentit; & vnumquodque sensorii vnumquodque quod sentit, significare dixerim. Vt ita quod de vidente dixerat, de omni sentiente affirmaret; quæstionemque ab vniuerso genere ad speciem antea facilioris doctrinæ causa contractam, à specie ad genus rursus deduceret: ne quis fortasse id in solo vidente verum esse existimaret. Simulque rationem ostenderet, cur ipsum videns coloratum quodammodo sit. Quia scilicet omne sentiens est reale illam formam, quæ in natura subsistit, ita ut non suscipiat; eam tamen quodam alio modo suscipit, dum cognitionis actione eleuat à materia & in se ipsam traducit, suscipiens illam absque materia. Et ideo ab illa quodam alio meliori ac nobiliori modo formatur atque afficitur.

TEXTVS.

Διὸ καὶ ἀπὸ τῶν ὄραων ἢ αἰσθητῶν, ἕκαστος αἰσθητὸν ἢ φαντασίαν ἐν τοῖς αἰσθητικοῖς.

Quare & sensibus remotis insunt & sensus & phantasie in sensorio.

COMMENT.

COMMENTARIUS XIX.

**H**unc locum minus ad rem interpretatus est Auerroës; quod mendosum haberet textum; neque (remotis sensibus) legeret, sed (abstractis) hoc est sine materia in sensu receptis. Quasi absolute ratio, cur ipsum videns non absolute, sed quasi coloratum sit. Quia videlicet cum susceperit formam abstractam & sine materia, tunc non reales colores aut qualitates aliarum, sed sensus & phantasiae fiunt.

Vera interpretatio est; ex eo, quod dictum est, visionem coloratam esse, atque à sensu forma sine materia suscepta quoquo modo affici sensum; hoc velut consequens colligi; Et si amota fuerint sensilia obiecta, inesse tamen adhuc in sensoriis sensus & phantasiae. Sensoria eadem modo, quo antea, pro sententibus arbitror nominari. Mirorque magnopere hoc à plerisque de intentionalibus formis intelligi: cum non illa, sed sensus & phantasia, hoc est virtutum harum operationes inesse dicantur: quae nimirum in solo organo stolido & non operante nequeunt esse. Immo in organis exteriorum sensuum, de quibus solis nunc est sermo, (cum nondum probatum fuerit, praeter eos interiorum alium inesse) formarum illarum patris certum est id & peruulgatum: Eas ab obiecto, à quo procedunt, vsque adeo pendere, vt sine illo ne minimum quidem subsistere valeant, sed eo remoto statim pereant, tum in medio, tum in organo. Quomodo igitur obiecto remoto insunt in sentientibus sensus & phantasiae? Nimirum quoniam sensuum actus formae obiecti cognita & in sensu suscepta non statim aboletur. Maxime si vehementioris obiecti fuerit, quod cum magna vi, & applicatione sentientisque virtutis conatu perceptum fuerit. Ita sanè visum est Simplicio.

Cum enim, inquit, manifestior alicuius sit sensus, quaedam remanet sensitiva actio in ipso imitans phantasia. Remanet inquam post recessum sensilis, atque adeo non praeterea mouentis sensorium: adeo vt remaneat sensus post sensilium recessum. Quod per colligantiam, quam habet cum phantasia, idem ille interpretas affirmat. Et Themistius, ni fallor, idem sibi voluit, cum ex interprete illud scripsit; Rationes & formae sensilium, quas sibi sensus tanquam copias aliquas comparauit, obretinentur aliquandiu in nobis, & digredientibus quoque rebus externis moram in sensibus trahunt. Nam si eas sibi sensus comparauit, non sunt igitur ab obiectis immixtae, sed ab ipso productae. Et quid tandem producit, nisi cognitionis actionem, velut rationem & formam obiectorum sensilium? Aut si ad organum id referatur; intelligendum est de obiecto re ipsa in eo suscepto: vt de lumine, sono, aliisque similibus. Quibus susceptis etsi lucidum aut sonorum corpus amouetur, nescio quid tamen videre nobis & audire ad breue tempus videtur. Atque ita credi potest sensisse Philoponum, ubi eius rei causam in aspectu dixit esse perspicuum, quod post obiecti absentiam splendores quosdam ante aspectum imprimat & praefigurat. Rem enim totam in lumen conferre videtur. Id

**A** ipsum accidit in vehementi colore; vt in niuis al-bore; (vix autem in caeteris). Tum quia visorium spiritum disgregat; & donec is iterum colligatur, eodem modo videre videmur. Quod si ex intentionalibus illis formis eueniret, non minus in coloribus mediis eueniret: cum illi non minus, quam extremi, formas illas credantur immittere. Denique phantasia non interiorum illam facultatem de qua post agetur, nunc significat, vt Albertus putauit, & fatere Themistium dixeris. Cum enim eam nobis inesse probatum nondum fuerit, de illius operatione dici non poterat. Sed visiones illas & apparitiones, quibus interdum sentire quidpiam sensibus videmur; Et obiectum, quod abest, quasi praesens sentitur.

TEXTVS.

*Hic non videtur esse actus sensus, sed actus intellectus, qui est actus intellectus. Sed si est actus intellectus, non est actus sensus, sed actus intellectus. Et si est actus intellectus, non est actus sensus, sed actus intellectus. Et si est actus intellectus, non est actus sensus, sed actus intellectus.*

*Sensus verò & sensus actus idem quidem est & vnus: T. 138 esse autem ipsius non idem. Dico autem, vt sonus, qui actus, & auditus qui actus. Est enim vt quis auditum habens non audit, & habens sonum non semper sonat. Cum autem operatur, operatur id, quod audire potest; & sonat, quod sonare aptum est, tunc auditus actus simul sit, & actus sonus. Quare dicat vtique aliquis alterum quidem additionem esse, alterum autem sonationem.*

COMMENTARIUS XX.

**I**n huius loci expositione dissentientes magnopere interpretes video. Minime autem verisimilia loquutus videtur Simplicius, cum haec eò spectare dixit, vt cum superioribus illis verbis (quoniam non videmus aspectu) & illis (sensibus remotis) significatum sit, sensum, qui vim habet suscipiendi sensile sine materia, non semper esse actum; sed interdum actum, interdum potestate: nunc doceatur, quando tum sensile, tum sensus sint actum, & quando potestate; & quomodo vtrumque sit causa eius, quod actum.

Etenim nec antecedentia illa verba indicare hoc voluerunt, sensum interdum esse actum, interdum potestate: nec explicationem hanc desiderabant; cum satis antea dictum de eo sit in ipso de sensu tractationis principio: neque sanè id pre se fert sermo hic, qui sequitur. Sed illud potius, quod Philopono placuit; postquam operationem & ipsum videns quodam modo coloratum esse ostendit quatenus coloris sensilis formam sine materia suscipit,

eum nunc vterius progredi, addendo non solum hoc ita esse, verum etiam eundem & vnum esse vtriusque actum. Quod si S. Thomas referat ad probandum id, quod primum quaerebatur, sensum sensationem suam sentire; quia si est idem vtriusque actus, dum obiectum sensibile illiusque actum & immutationem percipit, suam simul operationem percipiet: leve proflus argumentum fuerit. Quoniam et si idem re ipsa sit actus, ratione tamen diuersus est. Quare responderi posset, eum re ipsa operationem suam, hoc est actum illum, qui re idem cum operatione est, sentire: at non formaliter, quatenus ipsius operatio est. Sicut quia idem re sunt actio, passio, & motus; qui vnum percipit, re quidem ipsa, non tamen formaliter percipit reliqua. Sin autem Philoponus ad illud confirmandum, quod dubitationem diluendo respondebatur, visionem quoque coloratam esse: quia non solum coloris formam sine materia suscipit, sed etiam est idem re & vnum numero cum ipsius coloris actu: perquam accommodata est interpretatio.

Quamquam alia quaedam mihi venit in mentem. Fortasse enim probare Philosophus voluit aut planius facere id, quod prouocauit, sensum suscipere sensibilem formam sine materia; atque ab illa ita formari, vt quoquo modo coloretur alioque sensibili modo afficiatur. Quod fieri tradidit; quoniam idem est actus obiecti sensibilis & ipsius sensus; licet ratione diuersus sit, quatenus in obiecto sensibili secundum suam naturam & cum materia reperitur; in sensu autem sine materia per cognitionis actionem. Et idem non absolute vt corpus, quod est extra animam; sed quodam modo coloratam dixit sensationem. Quia est re idem sit actus, non eodem tamen se habet modo.

Nec vereor dicere, Aristotelem ex superiori responsione visionem coloratam esse, quempiam vidisse suspicari aut obicere sibi posse, ita fore vt sensio sensibileque obiectum nil differant; duoque haec confundantur, quae tantopere distincta esse oportet. Propterea occurrisse, obiecti sensibilis & sensus (sensus autem facultatem ipsam dicit) eundem quidem re & vnum numero esse actum, at ratione ac forma alium atque alium. Vnde quatenus idem & vnus est, vt obiectum, ita & visio colorata efficitur: quatenus autem alius & alius; illud obiecti naturam retinet, haec actionis & sensationis vim. Quod dum facit, simul declarat, quomodo sensus dictus fuerit sensationem suam cognoscere. Nimirum non formaliter quatenus sensio est, sed vt est idem re cum obiecti actu & motione, quam is sane comprehendit. Vt quasi significare videatur eam à particulari sensu ex accidenti sentiri. Sicut in tex. 134. sensibile proprium vnus sensus ab alio sensu sentiri dicebatur; vt dulce aut amarum ab aspectu, quatenus cum colore vnum sunt. Sed ibi subiecti, hic rei vnitas est ibi rei, hic rationis diuersitas.

Quod ad communem sensum inuestigandum pertinet; quem Philosophus tum diuersa sensilia propria comparare ac diiudicare voluit; tum singulorum particularium sensuum actiones comprehendere: eaque per se cognoscere, quae à particularibus sensibus, tum in obiectis, tum in actionibus ex accidenti sentiri dicuntur.

Denique cum his omnibus intelligi voluit, quemadmodum sensus actione vnica, & obie-

ctum sensibile & sensationem suam perferant. Propterea enim vtrumque simul comprehendit, quoniam vnus & idem est vtriusque actus, eademque re ipsa forma; tum obiecti sensibilis actu, tum operantis sensus. Itaque paucissimis verbis haec omnia spectat Philosophus: Vt magis ostendat visionem coloratam & cuiusvis sensus operationem sensibilem esse: Vt doceat cur sensus à sensibili forma sine materia suscipere vtrumque afficiatur. Vt explicet, quatenus obiectum sensibile & sensio idem sint aut differant: Vt intelligamus, quomodo intellectu sensus dictus sit sensationem suam sentire. Ac demum vt euadat planum, quo modo actione vnica & obiectum & sensio simul sentiantur. Namque haec omnia intelliguntur ex eo, quod obiecti sensibilis & sensus vnus est & idem re actus, ratione diuersus.

Id verò quemadmodum sit, exponit nobis reuocata in memoriam distinctio illa in superiori libro tradita, tum obiectum, tum sensum duobus modis considerari, aut actu, aut potestate. Vbi obiectum prius, quam sensum, nominat: quod & natura sit prius, & in hac ipsa, de qua agitur, difficultate antecedat. Si quidem prior est obiecti cognitio, quam sensationis illius, qua obiectum cognitum est. Actum porò secundum intelligas, quem *diapason* idcirco nominat, quae operationem significat. Nam & obiectum in actu primo considerat, quatenus absoluta qualitas est in subiecto existens corpore; & in actu secundo, quatenus sensibile est afficitque ac mouet sensum.

Et sensus item in actu primo facultas quaeprimam est in anima; & in actu secundo circa propositum obiectum operatur. Propterea hoc expositum subiungit, sepius fieri, vt audiendi sensum & facultatem habeat quispiam & nihil audiat; & id quod habeat sonum, non sonet; auditur scilicet ita vt audiatur. Sed & in sensu & in obiecto sit actus primus, quo sensus est sensus & obiectum qualitas quaeprimam, sine secundo, quo sensus sentiat & obiectum sensibile afficiat sensum. Quod quidem potestatem significat. Quia id, quod habet actum primum & secundo caret, quem habere potest; nimirum potestate ad illum est. Neque solus sensus propter obiecti attentionis defectum non operans ad operandum aptus est; sed etiam sonus, qui in aere spargitur, efficax sua natura est ad permouendum auditum; sique adesse, re ipsa permoueret. Quare si auditui occurat sonus & sonus auditum quempiam pulset (hoc enim sibi vult illud (& sonat quod sonare aptum est) non productione soni sonantibus corporibus percussis; sed illa ipsius producti operatione, quae soni quatenus audibilis est propria existit; quae scilicet auditui cuiuspiam sonat); Tunc vtique sit actu, sono auditum mouente auditumque sonum comprehendente. Itaque sonus & auditus actus primi sunt, qui secundorum comparatione sensum & obiectum potestate faciunt. Sonare autem & audire actus secundi, quibus sensibile & sensus actu esse & operari dicuntur.

Hicque actus secundus re vnus & idem est, quo vterque sit actu. Neque hic actus alius est, quam iudicij sensus; quo tum sonus, tum auditus sunt actu; hic, quia iudicatur, ille, quia iudicatur. Ratio autem distinguitur, sicut ascensus & descensus; quatenus est ab obiecto, & in sensu suscipitur. Vt est ab obiecto, appellatur sonatio; vt in sensu suscipitur,

suscipitur, auditio. Vtraque actus secundus est: sed illa motionem ab obiecto in sensu factam significat que ad iudicandum excitat; hæc obiecti comprehensionem à sentiente virtute profectam acque in ea susceptam. Licet hoc ex his explicare, que de actione & passione in 3. Phys. lib. tradita sunt & in proximo textu commemorantur. Nam vt hæc vnus & idem actus sunt, qui vt exit ab agente, actio; & vt in patiente suscipitur, passio nominatur: ita profus de sonatione & auditione intelligendum est. Quippe sentire pati quoddam est; & obiectum comparatione sensus vim agentis habere creditur, à quo is è potestate traducatur ad actum; quemadmodum superioris libri textus 59. affirmat. Quod tamen, vt eo loco admonni, non omnino, sed quoquo modo intelligas. Etenim in eodem ipso loco is, qui habet sensum, dicitur esse vt is, qui scientie habitu præditus est. Quoniam habet actum primum, quo promere secundum valet. Et idè sentire actum est sicut contemplari: quoniam vt contemplatio à scientie habitu proficiscitur, ita sentire à sentiente facultate, que veluti habitus operandi est. Hoc tamen interest, quòd scientie habitu contemplari possis quando volueris; cum per eum habitum intra te obiectum contemplandum habeas; sensus verò externo indigeat obiecto, & idè nisi illud adsit, non sentit.

Quod propterea nunc libuit admonere, ne quis fortasse obiectum audiens vim agentis, sensumque vim patientis habere; sensationem existimaret nil aliud esse, quam sensilis formæ susceptionem in sensu; non item vllam ipsius sensus operationem. Hoc enim non ita esse, tum textus ille 59. testatur; tum verò textus 127. vbi aperte legimus, odorari non solum esse pati, sed agere. Hocque à non sentientibus distingui sentientia; quòd illa patiuntur quidem à sensilibus, at circa ea non agunt; hæc verò agunt, cognitionis scilicet actum secundum promendo. Et quoniam sensio in aliud non transit, sed in eo ipso suscipitur, à quo producitur: sensus ipse agit & patitur; alio tamen atque alio modo, vt & in omni cognitione, & operatione immanente euenit. Obiectum autem quoquo modo agentis vim obtinet, quatenus mouet sensum atque ad agendum prouocat, nec nisi eo presente agere potest sensus. Immo hoc loco dum sonationem obiecto, auditionem sensui dedit, præcipuam actionis vim in sensu posuit, & in obiecto quandam illius duntaxat prouocationem. Quid enim est auditio, nisi audibilis soni cognitio & comprehensio? Quid sonatio, nisi soni præsentatio, & quasi ad audiendum excitatio? quòd ad vocem quidem vim attinet, vtraque actionem significat: sed sonatio actionem adducentem ac proponentem sonum vt audibile obiectum; auditio autem actionem propositum obiectum sentientem & comprehendentem. Quocirca audiendi non sunt illi, qui hunc actum idè ratione diuersum dicunt, quòd vt est ab obiecto, est actio; vt est in sensu, est passio. Nam & in vtroque Philosophus actionis vocem vsus est: & sentire non est solum pati, sed agere. Et si actionem obiecti in organum spectent, vt spectare videntur; ea non est ad rem; cum de sensu eiusque sensatione, non de organo, sit sermo: neque motus, qui fit in organo, idem actus est cum cognitione, que à sensu circa obiectum promitur.

*Vt sonatio & auditione, duobus modis considerare possumus. Vel vt*

**A** motus & operationes quædam sunt; sonatio motus aëris sonique diffusio; auditio audientis virtutis operatio. Vel formaliter, vt ad sentiendum referuntur; sonatio velut audibilis obiecti, quatenus audibile est, præsentio, & auditoria facultatis vt auditoria est, excitatio; auditio, quatenus audibilis huius obiecti comprehensio & receptio. Sane ad hunc locum prior consideratio non pertinet, sed posterior magis. Nam si prior accipiatur, duo sunt actus re distincti atque in diuerso subiecto; alter in aëre alioue corpore, aut etiam organo; alter in sensu. Et ita Philosophus quoque dixit, habens sonum non semper sonare, alterumque actum sine altero reperiri. At si posterior intelligatur, verè vnus & idem re actus fuerit: sensus scilicet operatio & sensio, que vt audibilis obiecti comprehensio est, auditio dicitur; vt autè audibilis obiecti præsentatio aut auditus excitatio, sonatio appellatur.

**B** Itaque iam omnia illa, que querebantur, facillè explicantur. Nam si ita habet, estque idem actus obiecti & sensus; verè dictum fuit, visionem ipsam vtrumque coloratam & sensationem sensibilem esse: Verè sensilis forma in sensu sine materia suscipitur eumque format & afficit: Verè sensibile & sensio quodam modo idem sunt, alio autem valde diuersa: Verè sensus quoquo modo sensationem suam percipit: Verè demum actione vnica & obiectum & sensio simul sentiuntur.

At enim inquit Philoponus de moderati tantum sensilis sensatione à Philosopho hæc dicta fuisse. Quoniam si in immoderato & excedente idem sensilis & sensus esset actus, idem seipsum corrumpere. Verum cum Philoponi oratio generalis sit; atque id, quòd dicitur, ex ipsa sensationis natura nascatur; sensationi omni commune est. Neque idem corrumpit se ipsum. Quia quòd corrumpitur non est sensus, sed illius organum; sensus autem sentiendo perficitur. Neque illud corrumpitur à sensu (quæ enim in eo corrumpendi vis aut quomodo immanens & sua natura perficiens nullam que contrarietatem habens operatio materiam externam perdat & dissipat) sed ab obiecto: non quatenus sensibile est, quomodo idem illius & sensus actus est; sed quatenus naturales alias qualitates habet vehementiores, nimio impetu pulsar, aut alio modo temperiem organi soluit.

**D** Magis ad rem adnotatum fuerit, ad explicandam generalem propositionem, sensilis & sensus eundem & vnum esse actum, eum neque sensu & sensu vniversè vsus fuisse, neque ex colore & aspectu, quo velut primo & optimo sensu atque aliorum regula in superiori sermone vsus iam fuerat, exemplum adduxisse: sed ex auditu potius & sonocuius obiecto. Quoniam vt ipsemet non multò post exponet, optimè vidit, nec in sensu vniverso, nec in cæteris eius partibus, sed in auditu solo duplicem illam rationem nominari posse, qua eundem illum actum consideramus; & alteram ad sensum, alteram ad obiectum sensibile agnoscimus pertinere. In auditu auditionem & sonationem dicimus. In cæteris ex parte sensus visionem, odorationem, & vniversè sensationem appellabimus: At ex parte obiecti vix accommodatè nominabimus. Aliam quoque credo fuisse causam, quia sonus manifestum habet in auditu motum. Vt post in proximo contextu eundem probare posset esse actum; quoniam actio, & passio idem sunt & in eodem subiecto patiente.

*vnus & idem actus*

*CHYRAR- ditus exemplo vltim.*







duntaxat suscipiatur: primus autem, tum in sensibili sonus & qualitas, tum in sensu audiendi & sentiendi virtus. Certè Aristoteles cum sonum & auditum nominavit, ἡχώρ & ἀκούω, quæ actum primum significant, tanquam potestate, quàm actu dicuntur, ut ex tex. 138. constat. Eâsq; voces ab iis diuersas esse, quæ operationem & actum secundum indicant, quæ sunt ἡκῶν & ἀκούω, ut ita planius explicaret, de quo actu intelligenda sint illa duo, quæ affirmavit, eundem esse sensibilem & sensum actum; eumque non in sensibili, sed in sentiente esse. De actu nimirum secundo, non de primo: deque sensibili & sensu actu, non potestate, vtrumque affirmatum fuisse.

Deinde verò quoniam de sono duntaxat & auditu sermonem habuit; ne quis id solum huius sensus & sensibilis proprium esse existimaret, eodem in cæteris quoque modo rem se habere; idèmq; de illis intelligendum esse subiungit. Eundem scilicet omnibus esse sensibilem & sensum actum; eumque in sensu inesse, non in sensibili: sicut actio in patiente est, non in agente. Pro sensu autem sensitium dixit. Tum quia sensitium dixerat & auditium. Tum quia sensus ipse in sensitio est: neque ut est in 4. metaph. lib. tex. 14. vnum accidens alteri accidenti accidit, nisi quia vtrumque eidem accidit. Tum demum quia dum sensationem cum actione compararet; sicut actio suscipi dicebatur in patiente velut substantia quadam; sic æquum erat id, in quo suscipitur sensio, ad modum substantiæ vocèque substantiam significantem proponere. Sensitium tamen quatenus sensitium est, hoc est quatenus sensu præditum est, intelligas. Quippe sensio primum ac immediatè in sensu suscipitur, tum per sensum in sensitio quoque.

Ad extremum ne quis fortasse ea, quæ de audibilis & auditus actu accepit, eum etiam re vnice sit, ratione tamen duplicem esse; sonationem, ut est ab audibili, auditionem, ut in auditu suscipitur; in cæteris sensibus quaritans nec facillè inueniens, omnino diceret rem in illis non ita habere: opportunè admonet, non rei, sed nominum & vocum diuersitatem esse: & in omnibus quidem sensibus vtramque illam rationem actionis sensibilis & passionis sensus distingui ac mente concipi; at non item fortasse nominari posse. Nam in auditu sonationem & auditionem dicimus: in cæteris autem ex parte quidem sensus visionem, gustationem, odorationem, & tactionem, appellare licet; at ex parte coloris, saporis, odoris, & qualitatis tactilis, non est vox, qua conuenienter nominemus, sensibilisque motionem exprimamus. A colore quispiam credat colorationem dici posse. At ea vox non immutationem sensus à sensibili factam significat, sed realem illam, qua corpus quodpiam colore delinitur, coloratumque efficitur. Et eandem ob causam, ni fallor, scripsit Philoponus, nec in sapore, qui *γεύω* dicitur, *γεύωμαι* appellari. Quod hæc vox ad coquinariam pertineat; hoc est non spiritalem immutationem, qualis fit in sensu, significet, sed realem illam & materialem, quæ in condiendis cibis versatur.

Sensibile  
nunc pro  
sensu.

Dardanus

TEXTVS.

Ἐπί τῆς μὲν ἰσῆς ἐπιπέδου ἢ τοῦ ἀκίνητου ἢ τοῦ ἀκίνητου, τὸ δὲ τῆς ἐπιπέδου, ἀδύνατον αὐτῶν ὅτι αὐτῶν τὸ αὐτὸ καὶ τὸ ἄλλο ἀκίνητον καὶ κίνητον, καὶ τὸ αὐτὸ κίνητον καὶ ἀκίνητον, καὶ τὸ ἄλλο κίνητον καὶ ἀκίνητον.

Quoniam autem sensibilis & sensitium vnus quidem est actus, esse verò alterum; necesse simul corrumpi & sensuari eum, qui sic dicitur auditus & sonus. Et ipsa item & gustatum, eodemque modo alia. Quæ autem potestate dicuntur, non necesse.

COMMENTARIVS XXIV.

**Q**Uæ hoc loco difficultas occurrit, non est in sermonis sententia; sed quo modo ea proponenda sit. Num inquam disputatio noua tenetur, an verò ex superiori habita quidpiam colligatur. Placuit S. Thomæ duarum questionum tractationem Philosophum deinceps aggredi. Alteramque propositis hisce verbis explicari; An sensus & sensilia corrumpantur simul & ferentur. Alteram in tex. 143. Cur sensilia quædam sensum perdant, alia delectent. Verum nec orationis forma quæstionis nouæ propositionem præ se fert: neque satis ad rem videbatur: aut certè nihil erat necesse nunc eas quæstiones interponere.

Melius multò Græci, & Auerroës, atque Albertus ex iis, quæ tradita sunt, deduci iudicant, sensibile actu & sensum actu simul esse & simul non esse; non item sensibile & sensum potestate. Quamquam Philoponus parùm constanter loquens est. Quippe qui in theoria textus 138. tanquam corollarium ex dictis collectum interpretatus fuit. Postque in adnotatione ad hunc locum primum quidem corollarium deduci dixerit; deinde verò alteram quæstionem esse, non corollarium. Mihi verò vel ipsa verborum series corollarium, non quæstionem, persuadet. Namque tum superior sententiam accipit, sensibilis & sensitium vnus & eundem esse actum. Tum ex ea colligit (quoniam inquit ita est:). Et rursum non sensum dicit, sed sensitium antea nominatum: cum tamen non tam de sensitio, quàm de sensu loquatur: & idèb auditum statim & gustatum nominat necesse esse simul perire & conseruari sensu actu & sensibile actu; nec sensum actu esse posse, quin simul sit sensibile actu, neque contra: ac rursum eorum altero perempto alterum quoque illicò interire. Hoc autem non eo argumento ostendit, quod ex relatorum natura peti poterat, quæ simul esse & non esse dicuntur. Propterea quòd sensibile quoque potestate, & sensitium potestate relationem significant. Quæ tamen ipse ait non esse necesse simul esse & non esse; sed posse vnum sine altero subsistere, alteròque perempto alterum esse in natura superioris. Sed eo potius, quod antecedens disputatio supeditauit; quoniam sensibilis actu & sensus actus vnus & idem re solàque ratione diuersus actus est. Nam si auditio sine sonatione esse nequit, eum idem ipsè auditionis actus sonationis item sit (est enim in auditu quatenus excitatus à sono: sicut passio sine actione

actione non est, quia nil aliud re ipsa est, quam forma ab agente producta & in patiente suscepta) profecto non potest omnino auditus esse actu sine audibili sono actu. Et rursum ut non est actio sine passione; quia non producit forma ab agente, nisi in subiecto aliquo patiente, ex cuius potestate illam educit: ita nec sonatio actu sine auditione, nec sonus actu sine auditu actu facit. Si igitur sit horum alterum, est quoque alterum; alteroque pereunte perit alterum.

**A** In sensibili potestate & sensu potestate secus habet. Quod Philoponus noluit ita accipi, ut hæc simul esse & non esse negentur. Quoniam, inquit, ea quoque ad aliquid sunt communi que huius generis entium lege tenentur, ut simul natura sint & non sint. Sed interpretatus est non esse necesse ea esse eadem re sola que ratione differre; quemadmodum de iis, quæ sunt actu, positum fuit. Verum hoc Aristotelis verbis minimè consentaneum est. Omnino que intelligere oportet de sensibili & sensu potestate id negari, quod de sensibili & sensu actu fuerat affirmatum. De his affirmauerat proximis verbis, ea simul esse & non esse: de illis igitur negat necesse esse ea simul esse & non esse, seruari simul & perire. Quoniam enim diuersis constant actibus, sensibile naturali qualitate soni, coloris, aut saporis; sensus facultate, quæ inest in anima; facile est unum sine altero esse, unoque destructo seruari alterum. Nam qualitates, quæ sensibiles potestate dicuntur, in natura per se coherent in corporibus, ut mox dicetur. Neque ideo sensibiles potestate sunt, quod à sensu quidquam accipiant: nec rursum sensibiles actu euadunt à sensu aliquid accipiendo. Sed & sensibiles potestate sunt suapte vi & conditione, sicutque actu propterea solum, quod efficiant sensum; & ita immutent, ut ad actu sentiendum inducant. Denique tota huius loci sententia consentit optimè cum ea, quæ est in tex. 37. lib. 2. Phys. & ex ea tanquam generali magis confirmatur. Nam ut ubi vniuersè dixit causam actu operantem & effectum actu simul semper esse; causam autem potestate & effectum potestate non item. Ita hoc loco in specie de sensibili & sensu affirmat. Quippe sensibile momentis causæ vim habet, sensus autem ab eò mouetur.

*Digestio IIII. Quatenus sensibile & sensus simul sint.*

**Q**uod ab Aristotele dictum est, sensibile & sensum potestate non esse simul; quemadmodum ea sunt, quæ actu operantur; propterea non parum interpretibus difficultatem adfert, quod non minus, quàm hæc, illa relata sint. Verum aperta extat in lib. categoriarum pronuntiata sententia; relatorum proprietatem illam, ea esse simul natura, in plurimis quidem veram esse, at non in omnibus; ut in scibili & scientia, sensibili & sensu: hæc enim ab ipso met Philosopho nominantur. Tum quia scibile & sensibile priora sunt, quàm scientia & sensus. Tum quia illis quidem ablati hæc quoque auferuntur, at non contrà. Tum quia quod ad sensibile & sensum attinet, tunc fit sensus, quando fit animal: sensibile autem antecedit, quoniam antecedunt elementa, ex quibus animal constat, eaque sensibilia corpora sunt. Itaque duo affirmate licet. Alterum est; scibile & sensibile

(perinde enim est de altero ac de utroque loqui) duobus modis considerari posse: Tum re ipsa, quatenus naturæ quædam sunt, & res, quæ sciri aut sentiri queunt: Tum formaliter, ut scibile est aut sensibile. Namque priori modo ne cætera quidem relata simul sunt, quibus ea proprietates conuenire maximè existimatur; ut pater & filius, seruus & dominus, causa & causatum, & id genus alia. Posteriori autem, scientia quoque & scibile, sensus & sensibile; siue actu, siue potestate spectentur, simul sunt. Siquidem scibile aut sensibile actu dicuntur, quod illud ab aliquo sciatur actu, hoc sentiat. Potestate verò, quod ab aliquo alterum sciri, alterum sentiri queat. Neque posteriori, sed priori intellectu Aristotelis illa verba interpretabimur.

**B** Verum quoniam hoc non caret difficultate: cum nulla futura sit scientia, nullus sensus potestate, si nullus sit homo, nullum animal: & tamen pleraque alia essent sua natura potestate scibilia & sensibilia. Quippe & ad essent naturæ proprietatibus suis affectæ, quæ de illis aptæ essent ostendi: & qualitates sensibiles ad mouendos sensus idoneæ in corporibus cohererent: essetque ex accidenti, si nullus intellectus nullusque sensus foret, qui eas cognosceret: neque accedente intellectu aut sensu quidquam in rebus mutatur illis accedat, quo scibiles euadant aut sensibiles. Alterum potius responderem; Verè proprietatem eam relatorum omnium non esse, sed illis fortasse conuenire, quæ in scholis secundum esse appellamus. Cum enim aliam hæc naturam non habeant, quàm ad aliud referri; nisi ea, ad quæ referuntur, simul sint, omnino esse nequeunt. Illique ablati simul ipsa quoque perimuntur & concidunt. Nam si essent illis priora, siue tempore, siue natura; tota illorum natura non esset ad illa, sed absque illis vim obtinerent suam; neque relatum, sed absolutum quidpiam essent. Aut si ad aliud, quod tunc non subsistat, referantur, realis ea relatio non fuerit, sed rationis: quippe ea, quæ realis sit, rem quampiam existentem respicit. At relata, quæ secundum dici vocantur, secus habent. Atque ut absoluta entia sunt, quæ non aduentitia relatione, sed aut se ipsis suæque natura respiciunt aliud: aut referri ad aliud existimantur, quod aliud referatur ad ipsa, ut in tex. 20. lib. 6. Metaph. de vniuerso tertio relatorum genere legimus. Ita ut in natura subsistant, alio tanquam termino existente non indigent. Sed priora tempore; rursumque eo, ad quod dicuntur, sublato posteriora esse possunt. Huius generis sunt scibile & sensibile, mensura, & mensurabile, potestas & actus, atque adeo materia, quæ in tex. 26. lib. 2. Phys. inter relata numeratur, & alia his similia. Quemadmodum igitur actus prior est potestate, & materia prior forma, apta formari & perfici à forma; & si pereat forma, eadem tamen superstes est materia: licetque omnibus (quod Deus potest, ut Philosophi sapientiores decernunt) priuaretur formis, nec earum vlla in rerum natura existeret; eandem tamen haberet materia relationem formæque materia diceretur. Ita sanè scibilis quæpiam natura aut sensibilis qualitas, quæ absoluta sunt, coherere in hæc rerum vniuersitate possunt, etsi nondum inuenta scientia sit, aut comparatus sensus; rursumque abolita scientia vel extincto sensu subsistere. Hocque siue actu, siue potestate hæc accipiantur: modo de actu primò sit